Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

11 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,4

Rinck, Christoph Friedrich

[Karlsruhe], 1801-1804

Pro salutaria Sociatate oratio. 1804

urn:nbn:de:bsz:31-99852

Visual Library

Pro salutanda Societate

oratio.

1804.

Carolus Henricus Pauli Landaviensis.

Director graviſsime, Socii honoratiſsimi!

Ex omni fere aetate hominis praecipua ac potentiſsima pars eſt juventus. Quare et Virgilius, plurimum, inquit, intereſt in teneris conſuescere. Nam uſus rectus juventutis ducit atque praeparat nos ad illas viriles occupationes, e quibus, quaſi fontibus, utilitatem fortunamque totius reliquae vitae hauriri oportet. In ea nempe aetate quaecunque sive corporis, sive animi vires exercendae atque excolendae sunt. Attamen multo praeclarius eſse cenſeo, ex ingenii quam corporis facultatibus gloriam quaerere. Nam ut Salustius ait, noſtra omnis vis in animo et corpore sita eſt: animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt.

Animus quidem omnes nostros conatus ita regit, atque disponit, ut destinationi ac felicitati, ad quam omnes enitimur, respondeant. Quare inprimis convenit, in hac juvenili aetate impelli animum ad quaecunque subsidia comparanda, fini proposito obtinendo inservientia, iisque diligentissime utendis adsuefieri. Magnam vero commoditatem ingenii excolendi perpoliendique linguarum, quibus olim florentissimae gentes usae sunt, notitia contineri, exploratissimum est. Sed ceteris omnibus Romanorum sermo propterea facile praestat, quod clarissimorum ingeniorum monumenta quam plurima eodem exarata, usque ad nostra tempora servata sunt. Jam quum Societas Vestra eo potissimum tendat, ut ejus linguae studiosi adjuventur, maturaeque sensui venustatis, qua maxime se commendat, adsuescant: nihil sane ea utilius et optatius esse potest.

Ego vero, cui benignitate Vestra Sodalitio Vestro adjungi contigit, mearum partium eſſe duxi, data mihi hac prima dicendi potestate, quamquam brevi et incomposita oratione reverenter Vos salutare. Eſſem vere omnium mortalium ingratiſſimus, nisi Vobis, Tibi maxime graviſſime Director, pro hoc in me collato beneficio gratias maximas persolverem. Talem me in omnibus rebus praestiturum, qualem praeclari hujus Sodalitii, quod ut quam diutiſſime floreat, ex imo pectore opto, decus dignitasque postulat, sancte polliceor.

BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg